ISAGOGE

CATECHETICA:

Explicationi Dogmatum Theologicorum pleniori [illegible] prævia.

In gratiam [illegible] Aberdonensis, [illegible]

ABERDONIÆ,

Imprimebat Edvardus Rabanus, 164[illegible].

Jas. F. Kellas Johnstone





Generosissimo ac Optimæ spei Juveni,

D. JOHANNI GORDONO,

De Haddo Militi Banneretto.



Menso jam ferè apud nos studiorum tuorum quadriennali curriculo, perspectaque satis indole, conspicua Tua Pietas & Modestia, qua bono aliis præluxisti exemplo, me movit ut ISAGOGEN *hanc* CATECHETICAM *tibi dicarem, tuoque insignirem nomine, ut sic Virtus suo laudis justo fruatur præmio, & (ut dicitur) laudata crescat*

ac indies augeatur. Amoris etiam mei in Te intimi τεκμήριον hoc Tibi sit munusculum, qui Tibi omnia fausta & fœlicia præcatur.

G. GUILD. S. T. D.

Inclytæ Academiæ Regiæ

Aberdonensis Primarius.



****

Isagoge Catechetica

In gratiam Juventutis in Jllustri UNIVERSITATE ABERDONENSI.

CAP. I. DE DEO.

Q.  *VÆ est hominis summa fœlicitas?*

R. DEUM rectè nosse, ipsum hic glorificare, ipsoque tandē posthac in perpetuum frui. *Joh.* 17.3

Q. Quæ te docent DEUM esse?

R. 1. Lux naturæ quam habemus; 2. opera DEI quæ cernimus; & 3. Verbum ipsius præcipuè quod audimus; quodque in Sacris Scripturis continetur, estque fidei morumque regula sola ac perfectissima. *Rom.* 1.20 *Joh.* 5.39

Q. *Quomodo nosti Scripturas esse DEI Verbum?*

R. 1. Ex majestate stili. 2. Ex consen-

ſu omnium partium, à tot diverſis amanuenſibus Θεόπνευςοις tam diſtantibus locis, & tam disjunctis tẽporibus conſcriptarum. 3.Earumq; ſcopo, qui eſt, Dei Gloria & hominis Sanctificatio & ſalus, plena autem hujus rei perſuaſio à Spiritu Sãcto ſolo profluit in cordibus fideliũ.

Q. Quæ ſunt illa quæ te docent Sriptura?

R. Credenda omnia & facienda; præcipue vero quid de DEO credendũ, & quid ab homine faciendum.

Q. Quid eſt DEUS?

Joh. 4. 24 *2.Chrõ.*6. 30 *Gen.*17.1 R. Eſt Spiritus Infinitus, Increatus, Ætern⁹, Incomprehenſibilis, Omniſciens, Omnipotens, Omnipræſens, & eſſentia, ſapientia, potentia, juſtitia, ſanctitate, bonitate ac veritate, omnino immutabilis.

Q. Quot ſunt DII?

*Deut.*6.4 R. Vnus Solus, Vivus & Verus: Idemq; Infinitus.

Q. Quot ſunt Perſonæ?

1.*Joh.*5.7 *Matth.* 3. 16 R. Tres: Pater qui creavit nos, Filius qui redemit nos, Spiritus ſanctus qui ſanctificat nos, quæ opera tamen cũ ſint ad extra, ſunt omnibus communia. Sed ordinis cauſa ſingula ſingulis ſic attribuuntur, & hæ tres perſonæ, ut

næ; ut ſunt unus DEUS: ſunt conſubſtantiales, coæternæ, ac coæquales, Potentia & Gloria.

CAP. II. De Creatione.

QVÆ ſunt opera DEI, per quæ præcipuè ipſe cognoſcitur?

R. Creationis, Providentiæ, ac redemptionis præcipuè.

Q. Quid eſt opus illud creationis?

R. Eſt quo verbo ſuæ potentiæ, ſpatio ſex dierum, omnia viſibilia & inviſibilia ex nihilo creavit, quæ erant valde bona. *Gen.* 1. 1. *Pſal.* 33. 6. *Exod.* 20. 11.

Q. Quando creavit mundũ Dominus?

R. In principio (ut ait Moſes) cum cœpit eſſe tempus; ideoque mundus non erat ab æterno, ut quidã ſomniabant Philoſophi. *Gen.* 1. 1.

Q. Quare vel ob quem finem creavit mundum DEUS?

R. Ad laudem gloriæ ſuæ (ut ait Apoſtolus) & hominis bonum, quem conſtituit ſuper opera manuum ſuarũ. *Rom.* 11. 36. *Pſal.* 19. 1.

Q. Nonne etiam creavit Angelos?

R. Imo, omnes creavit Spiritus immortales, ſanctos ab initio. Scientia excellentes, virtuteque potentes, ut mandata DEI præſtarent, ipſumque laudarent, mutationi tamen obnoxios;

quod patet ex lapsu eorum, qui nunc vocantur dæmones.

Q. Quomodo creavit hominem?

Gen. 2. 7. & 3. 19. R. Marem & fœminam creavit eos; & quoad corpus, hominem ex pulvere terræ: fœminam verò ex viri soporati separata costa fabricavit, quibus insufflavit spiritum vitæ seu animam immortalem, & ad imaginem suam creavit eos (quæ consistit in scientia & sanctitate perfecta cum Dominio super creaturas) mutationi tamen obnoxios, sicut patet ex lapsu primorum parentum, Adami & Hevæ.

Gen. 1. 26 Ephes. 4. 23. Col. 3. 10.

CAP. III. De Providentia DEI.

QUænam doctrina rectissimè creationi subjungitur?

R. Doctrina de Providentia DEI, quia est quædam quasi creationis continuatio.

Q. Quid est DEI providentia?

Rom. 11. 36. 1. Cor. 12 6. R. Est qua res omnes creatas conservat, gubernat, & per certa media ad certos fines dirigit, & ordinat, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ suæ bonum.

Q. An

Q. An vero est in DEO providentia omnium omnino rerum, tam singularium quam universalium?

R. Est, unde dicitur, passerculum non cadere humi sine patre nostro, & capillos omnes capitis nostri esse numeratos. *Math.* 10.29.30

Q. Cum autem in toto mundo nihil sit à divinæ providentiæ legibus exemptum, nonne major cura est DEO de homine, quam aliis rebus intellectu carentibus?

R. Certissime, sicut nos docet CHRISTUS, ubi ait, si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur sic vestiat DEUS, quanto magis vos modicæ fidei. *Math.* 6. 30. *Psal.* 33. 14.

Q. Quid est DEI conservatio rerum creatarum?

R. Est, per quam res creatæ subsistunt, & in suæ naturæ & proprietatum naturalium statu permanent, ne in nihilum recidant (ut docet Apostolus.) quod certo fieret, si DEUS virtutem suam conservatricem substraheret. *Act.* 17. 25. & 28.

Q. Quid est autem rerum omnium DEI gubernatio?

Est, qua DEUS omnia & singula

regit,

regit, dirigitque ad bonum aliquod universale vel particulare, & ad ostensionem vel misericordiæ, vel justitiæ suæ, ut in Pharaone patet, Exod. 14. 4. & aliis, puta, quædam efficiendo, quædam solum permittendo, quę permissio DEI etsi ipsa approbetur, non tamen approbantur quæ per ipsum permittuntur, sicut docemur, Act. 14. 16. & alibi. † qua autem causa DEUS hoc ita faciat, nolo à me requiras (inquit Salvianus) homo sum, non intelligo secreta DEI; investigare non audeo.

† *Jer.* 16. 13. *Rom.* 1. 28 *Salvi. De Provid. DEI, Lib.* 3.

CAP. IV. De Lapsu hominis, ejusque Miseria.

Quomodo lapsi sunt primi nostri parentes?

R. Edendo fructum arboris vetitæ, scientiæ boni & mali, contra expressum DEI mandatum seu fœdus vitæ cum homine initum, sub conditione perfectæ obedientiæ, & cōminatione mortis si mandatum illud seu fœdus peccando violaret.

Gen. 3. 6. 1. *Tim.* 2. 14.

Q. Quid est igitur peccatum?

R. Est transgressio mandati, seu legis divinæ.

1. *Joh.* 3. 4

Q. *An omnes homines per lapsum Adami, peccati illius rei sunt ?*

R. Imo: quia fœdus illud non solum cum Adamo initum erat, sed in ipso (ut radice) cum omnibus posteris ex ipso per ordinariam generationem oriundis, vnde omnes per lapsum ejus in ipso peccarunt. *Rom.* 5. 18 19.

Q. *Cujus suasu peccarunt primi parentes?*

R. Diaboli, mendacis & homicidæ ab initio, qui per serpentē, (ut instrumentum aptissimum ob astutiam) fœminam seduxit, & ea virum. *Gen.* 3. 4.

Q. *In quam conditionem adduxit genus humanum hæc Satanæ seductio, & lapsus parentum?*

R. Peccati, & summæ miseriæ.

Q. *In quo consistit peccati illa conditio in quam lapsus primorum parentum adduxit posteros?*

R. In reatu lapsus illius, qui consistit in originalis justitiæ amissione, totiusque naturæ humanæ corruptione, quæ vulgo peccatum originale vocatur; & in actualibus similiter trāsgressionibus quæ ab illo profluunt. *Psal.* 51. 5 *Isai* 1. 16.

Q. *Quænam est illa miseria in quam lapsus primorum parentū adduxit posteros?*

R. Amissio communionis cum DEO, ejusq

ejusque ira & maledictio, qua obnoxii sunt omnes omnibus hujus
Rom.6.23 vitæ miseriis hic, morti denique & pœnis inferni in æternum posthac.

Q. *Quæ sunt miseriæ seu pœnæ, quibus propter peccatum obnoxii sunt homines?*

R. Sunt vel internæ, ut excæcatio mẽtis, obduratio cordis, vitiosæ affectiones, &c. vel externæ, ut maledi
Gen.3.17 ctio DEI nostri causa super creaturas, omniaq; mala quæ accidũt corporibus nostris, famæ, rebus, relationibus, & denique mors ipsa.

Q. *Quænam sunt pœnæ quibus posthac obnoxii sunt peccatores?*

R. Æterna separatio à beatifica DEI
Matth.25 visione, & pœnæ infernales quas pa-
41. tientur damnati tota anima, & corpore toto, sine remissione aut intermissione in inferno, in æternum cum dæmonibus.

CAP. V. De hominis redemptione, & fœdere gratiæ per Christum, de cujus persona & naturis.

Q. *AN omnes dereliquit Deus ut in lugubri hujus miseriæ conditione perirent?*

R. Nequaquam, ſed cum primus homo primũ illud fœdus operũ violaſſet, ex mera ſua gratia ſuos ex ea liberavit electos, & ad ſalutem adduxit per fœdus ſecundum in Chriſto, quod fœdus gratiæ dicitur. *Luc.* 2. 31

Q. Cum quibus eſt hoc fœdus ictum ac initum?

R. Cum CHRISTO ut ſecũdo Adamo, & in eo cum omnibus electis tanquam ejus ſemene. *Gal.* 3. 16. 17. *Rom.* 5. 12

Q. Quid offert nobis in hoc fœdere DEUS, & quid viciſſim à nobis exigit? 1. *Cor.* 15. 22.

R. Remiſſionem peccatorũ in hac vita offert, per & propter CHRISTUM ejuſque merita, donaque ſalvifica, & vitam poſthac æternam. Hocque ſolum à nobis exigit, ut vera & ſalvifica fide credamus in eum, & quẽ miſit IESUM CHRISTUM mediatorem inter DEUM & homines. *Act.* 26. 18. *Joh.* 20. 23. *Rom.* 4. 7. *Rom.* 3. 23 *Eph.* 2. 8. 9.

Q. A lapſu Adami, an hoc fœdus gratiæ uno eodemque modo adminiſtratum fuit?

R. Non: nam ſub veteri Teſtamẽto obſcurius per ſacrificia & typos, Chriſtus venturus præfigurabatur: at ſub novo Teſtamento plenius & planiꝰ, ut iam natus & crucifixus omnibus

exhib

Heb. 10. exhibetur, tanquam propitiatio no-
14. ſtra perfecta & unica, ut dicit Apo-
ſtolus.

Q. *Quis eſt Mediator novi hujus fœderis gratiæ?*

Heb. 9. 15 R. IESUS CHRISTUS unigenitus Dei
Matth. 1. filius, DEUS & homo in una perſo-
23. na, ſine naturarum confuſione, aut
perſonæ diviſione.

Q. *Quare oportebat hominem eſſe?*

R. Non ſolum ut legi obediret; ſed eti-
am ut pro nobis mortẽ obiret; juſti-
Heb. 9. 22 tia enim Dei id exigebat; ut ea quæ
Heb. 4. 15 peccaverat natura, ea moreretur:
ut noſtris etiam infirmitatibus tan-
geretur, & nobiſcum compateretur,
1. *Tim.* 2. ac naturam noſtram in ſua perſona
5. in cœlum eveheret; ibidemque per-
Heb. 4. 14 petuo pro nobis apud Patrem inter-
cederet.

Q. *Quare oportebat DEUM eſſe?*

Heb. 9. 26 R. Ut mortem reſurgendo vinceret:
Rom. 5. 21 humanitatem ſub ira DEI & mor-
tis dominio ſuſtentaret: meritum &
efficaciam obedientiæ ſuæ & inter-
ceſſioni tribueret; & ſic DEI juſti-
tiæ ſatisfaceret, favorem ejus ſuis
procuraret: inimicos eorũ ſubigeret:
Spiritum ſuum ſanctum iis donaret:

eoſq

eosque tandem ad vitam æternam exaltaret.

Q. *Quare oportebat esse θεάνθρωπον in una persona, vel participem utriusque naturæ?*

R. Ut idoneus esset Mediator inter DEUM & hominem, quem erat DEO reconciliaturus. *Heb.*4.15

Q. *Quare vocabatur IESUS?*

R. quia salvabit populum suum (inquit Angelus) à peccatis eorum. Videlicet, à reatu per sanguinem suum; à dominio per spiritum; & à damnatione, per mortem ipsius. *Math.* 1. 21. *Heb.*2.14 *Rom.*8. 1.

CAP. VI. De CHRISTI Officiis.

Q*Uare nominatur CHRISTUS?*

R. quia Spiritu sancto à Patre sine mensura est unctus, & cum omni authoritate ac donis idoneis perfecte instructus, ut officio in Ecclesia sua fungeretur Regis, Prophetæ & Sacerdotis. *Isai.*61. 1 *Joh* 6.27. 1.*Pet.* 1. 20.

Q. *Quomodo fungitur officio Regis?* *Zech.* 9. 15.

R. Suos regendo, & protegendo, omnesque suos, ipsorumque hostes coercendo & subigendo. *Math.*2.6 *Psal.*110. 1.

Quomo

Q. Quomodo fungitur officio Propheta?

Deut. 18. R. Totum DEI consilium, ejusque vo-
15. luntatem & εὐδοκίαν nobis reve-
Joh. 1. 18. lando, nosque Verbo & Spiritu in-
16. struendo ad nostram salutem.

Q. Quomodo fungitur officio Sacerdotis?

Heb. 9. 28 R. Semel tantum semetipsum in ara
1. Tim. 2. crucis in victimam propitiatoriam
5. DEO offerendo, & continuo apud
Patrem in cœlis pro nobis interpel-
lando.

CAP. VII. De CHRISTI Humiliatione.

Quomodo opus illud magnũ Redemptionis nostræ perfecit?

Phil. 2. 7. R. Humiliatione sua & exaltatione.
Eph. 4. 9.

Q. In quibus consistit ipsius humiliatio?

R. In incarnatione & passione.

Q. Quæ complectitur incarnatio ejus?

R. Conceptionem de Spiritu sancto, &
Matth. 1. nativitatem ex Maria Virgine; cu-
20. jus respectu qua homo, sine Patre,
Luc. 1. 35 qua DEUS vero, sine Matre di-
citur.

Q. Cur conceptus est de Spiritu sancto?

Heb. 7. 26 R. Ut Ipse sic sanctus esset, sine omni
27. peccati originalis labe; nam talem
oport

oportebat nos habere Sacerdotem immunem ab omni peccato, qui nos ab eo liberaret, cui non esset opus victimam pro suis peccatis DEO offerre.

Q. Cur nasci voluit ex Maria Virgine?

R. Ut verum se esse hominē ostenderet; illudque impleretur, semen mulieris conteret caput serpentis. *Gen.3.15*

Q. Sub quo judice, & quomodo passus est CHRISTUS?

R. Sub Pontio Pilato, Romano Præside; passusque est, innocenter, patienter, verè, & voluntariè. *Math.27 24. Isai.53.9*

Q. In qua natura passus est?

R. In humana solummodo; Divina enim erat impassibilis.

Q. Quid passus est CHRISTUS?

R. Præter antecedaneas corporis perpessiones, quas singulis propemodum in membris & sensibus sustinuit, capite spinis confosso, faciè sputo fœdata, genis alapis contusis, & toto corpore nudato flagrisque Lacerato, &c. Mortem denique crucis maledictam, ignominiosam, & luctuosam subiit, ut sic à maledictione *Deut.21.21. Gal.3.13. Heb.2.14*

ne DEI, ignominia æterna, et doloribus inferni nos liberaret.

Q. Quare etiam post mortem sepiliri voluit CHRISTUS?

R. Ad majorem mortis suæ certi-
1. *Cor.* 15. 55. tudinem, & resurrectionis gloriam; utque nobis nostram sanctificaret sepulturam, essetque placidus quietis lectus sepulchrum, in diem beatæ resurrectionis.

Q. Nonne etiam passus est CHRISTUS in anima?

Isai. 53. 10. R. Immo; ut sic perfectus esset Salvator, cum corporis, tum animæ; cum
Matth. 26 38. in utroque homo peccaverat.

Q. Quid passus est in Anima?

R. Summos cruciatus ex sensu iræ
Lam. 1. 12. DEI nobis debitæ, quæ ipsi incumbebat; in horto præcipue & Cruce,
Matth. 26 37. qui cruciatus animæ, dolores inferni à Psalmista nuncupantur, cum ait Psal.
& 27.46. 18. 6. Dolores inferni circundederunt me, & quibus vox περίλυπος, qua utitur CHRISTUS videtur quadrare.

CAP.

CAP. VIII. De CHRISTI Exaltatione.

QUis fuit ſtatus exaltationis CHRISTI?

R. Ille qui comprehendit ipſius tertio die reſurrectionem, in cœlum aſcenſionem, ſeſſionem ad dextram Dei Patris, & reditum ad judicandum vivos & mortuos.

Q. Cujus virtute reſurrexit CHRISTUS?

R. Sua divina, qua 1. ſeipſum filium DEI eſſe declaravit, 2. pleniſſimam de morte victoriam reportaſſe demonſtravit. 3. plenam quoque ſatisfactionem divinæ juſtitiæ factam eſſe teſtatus eſt, adeoque juſtitiam nobis eſſe reſtitutam, 4. à peccato ad vitæ novitatem virtute hujus nos exſuſcitat, quæ prima reſurrectio dicitur; tandemque ſpem facit certiſsimam reſurrectionis corporum noſtrorum ad vitam æternam. *Hoſ.* 13. 14. *Rom.* 4. 25 *Rom.* 6. 4. *Rom.* 8. 11

Q. Quare etiam aſcendit in Cælum?

R. 1. Ut cœleſte illud ſacrarium nobis aperiret; 2. in noſtra natura, & ut caput noſtrum ſuper hoſtes noſtros omnes triumpharet: 3. Locum etiam *Heb.* 9. 12 *Pſal.* 68. 18. *Ioh.* 14. 2. & 2. 28.

Ioh.2.28. nobis præpararet. 4. dona sui Spiritus in
Col. 3. 2. suos effunderet; denique nostras af-
Philip. 1. fectiones illuc sursum evcheret.
23.

Q. Quem etiam ob finem sedet ad dextram DEI Patris?

R. Ut in tanta gloria, majestate & potentia constitutus hostes subigeret; suos tueretur, & pro eis intercederet.

Q. Quomodo pro suis intercedit Christus?

R. Merito suæ obedientiæ, ac victimæ semel oblatæ perpetua efficatia.

Q. Quando præcipuè manifesta & conspicua futura erit toti mundo hæc CHRISTI Gloria?

R. In ultimo illo die, quo venturus
Matth.25 est ad judicandum vivos & mortuos,
31. ac redditurus est unicuique secundum
1.Thess.4 sua opera.
15.
2.Thess.1. *Q. Quæ est ergo Piorum in morte & judicio maxima consolatio?*
7.

R. Quod tunc, & in Iudicio illo generali comparebunt coram Iudice, qui ita eos dilexit, ut pro ipsorum salute seipsum morti dederit.

CAP.

CAP. IX. De Spiritu Sancto.

Q*Uomodo simus participes redeptionis illius per CHRISTUM acquisitæ?*

R. Efficaci ejusdem applicatione per Spiritum Sanctum.

Q. Quare dicitur Spiritus, & quare Sanctus?

R. Dicitur Spiritus à proprietate sua non essentiali (sic enim Pater & Filius sunt Spiritus) sed à proprietate personali, quia ab utroque spiratur quasi & manat; sicut etiam Sanctus dicitur non respectu proprietatis essentialis solum, sed effectus quia nos sanctificat. *Isai. 6. 3. 1. Cor. 6. 11. Gal. 5. 5.*

Q. Quomodo probas Spiritum Sanctum esse Deum.

R. Quia non solum profiteor, & teneor credere in eum, ut habetur in Symbolo: sed etiam quia Apostoli jussi fuerunt baptizare in ejus Nomine sicut in Patris & Filii. & Act. 5. 3. cum dixisset Petrus Ananiæ, cur implevit cor tuum Satan ut mentireris Spiritui Sancto, *Ibidem.* ibidem subjungit. vers. 4. non homini sed DEO mentitus es.

CAP. X. De Ecclesia, & beneficiis in eam collatis.

Q. *AD quos pertinet hæc CHRISTI Redemptio, qua per Spiritum Sanctum sic nobis applicatur?*

R. Ad sanctam Ecclesiā catholicā.

Joh. 17. 20. *Q. Quanam est ea?*

R. Universus fidelium cœtus, quos DEUS in CHRISTO ab æterno elegit ad salutem.

Act. 13. 48. Rom. 9. 23

Q. Cur dicitur Sancta hæc Ecclesia?

R. Non solum quia in CHRISTO sic vera ejus membra reputantur; sed etiam quia sanctitate ipsis inhærente à DEO donantur.

Q. Cur appellatur Catholica?

R. Temporis, loci, & personarum ratione; quia universum electorum numerum omnium gentium, temporum & locorum complectitur.

Q. *Quomodo distinguitur hæc Ecclesia?*

Eph. 6. 12 R. In militantem in terris, & triumphantem in Cœlis.

2. Tim. 4. 7. *Q. Cur dicis credo Ecclesiam, & non in Ecclesiam?*

Matth. 4. 10. R. Quia hunc honorem, sibi peculiarem vendicat Dominus, ut in Ipsum solum

ſolum credamus, & fiduciam noſtram *Jer.* 17. 5.
in nullo alio collocemus.

Q. Quod eſt primum privilegium quod hæc habet CHRISTI Eccleſia?

R. Unio illa, & Communio cum *Joh.* 15. 4.
CHRISTO Capite & inter omnia ſua *Rom.* 12. 5
membra in ſtatu gratiæ & Gloriæ. *Eph.* 3. 6.

Q. Quod eſt ſecundum Privilegium?

R. Remiſſio peccatorum, ſeu noſtra juſtificatio.

Q. Quid eſt Iuſtificatio?

R. Eſt Actio meræ DEI gratiæ, qua *Pſal.* 32. 1
omnia noſtra peccata remittit, & ut *Rom.* 3. 24
juſtos coram ipſo acceptat, ſolûmodo 2. *Cor.* 2.
propter Chriſti meritum, & juſtitiam 21.
quæ nobis imputatur, & fide ſola à no- *Phil.* 3. 9.
bis apprehenditur. *Gal.* 3. 11

Q. Quomodo differunt juſtificatio & Sanctificatio?

R. Quamvis inſeparabiliter junguntur, adeo ut verbũ juſtificandi u-
trumq; aliquãdo complectatur, tamen *Pſal.* 32. 1
1. in juſtificatione peccatum condona- *Rom.* 5. 19
tur: in Sanctificatione vero peccatum
ſubjugatur. 2. in Iuſtificatione juſtitia *Phil.* 3. 9.
CHRISTI nobis imputatur; in San-
ctificatione vero inhærens gratia & *Rom.* 8. 1.
juſtitia nobis ipſis donatur. 3. perfecte
etiam juſtificantur electi in hac vita ut 1. *Ioh.* 1. 8

nulla fit illis condemnatio: perfecte autem non hic sanctificatur, cum consumatio illa solummodo fit in Cœlis.

Q. *Unde oritur hæc imperfectio Sanctificationis in Electis?*

R. Ex remanēte peccato in ipsis; nam
Rom. 7. 23 etsi non regnat, remanet tamen; unde
Matth. 26. 38. est illa continua pugna inter carnem & Spiritum: constans etiam necessitas
Phil. 2. 12 vigilandi, orandi, peccatum mortificandi, & operandi salutem cum timore & tremore.

Q. *An respectu hujus imperfectionis & multarum tentationum ad peccatum, possunt Electi à statu gratiæ excidere?*

Ioh. 13. 1. R. Non. 1, quia DEI Amor est im-
Rom. 8. 38 mutabilis, ejusque Electio. 2. Ipsorum
Ioh. 10. 28. etiam unio cum CHRISTO est inseparabilis; nec quis potest oves suas, ex Ipsius manu eripere. denique semen
Rom. 11. 29. DEI habent in seipsis, & custodiuntur per DEI potentiam per fidem ad salutem.

Q. *Quod est tertium privilegium quod habet vera CHRISTI Ecclesia Sancta, Catholica?*

R. Resurrectio corporum, virtute CHRISTI capitis sui mystici.

Cur

Q. Cur hæc beneficiis aliis in Electos collatis annumeratur, cum impii quoque resurgant.

R, Quia hæc solum Electis cedet in beneficiũ ad gloriæ suæ consummationem: Impiis vero cedit in supplicium, ad damnationis suæ & cruciatus perfectionem.

Math. 25 46.
Iob. 5.29.
Heb. 11. 40.

Q. Cur non liberantur à morte Electi, cum liberentur á peccato in justificatione, cujus stipendium est Mors?

R. Liberantur ab illa qua pœna, quia fit illis potius præmialis, quam pœnalis. Tunc enim liberantur omnino à peccato, omnique miseria, & arctius unioni cœlesti junguntur cum CHRISTO ut eo fruantur semper in Gloria.

1. *Cor.* 15. 56.
Heb. 2.14
2. *Tim.* 4. 7.

Q. Quod est ultimum privilegium seu beneficium in Electos collatum?

R. Vita æterna CHRISTI morte, illis parta & parata; in qua DEUM sunt sine fine visuri, sine fastidio amaturi, & sine disfatigatione cum angelis sanctis eum laudaturi.

2. *Tim.* 4. 8.
1. *Ioh.* 3.2
Psal. 16, 11.
Ioh. 17. 24.

CAP. XI. De hominis officio & gratitudine, ac lege morali.

QUod est officium quod DEUS ab homine exigit, in signum gratitudinis ob ejus tot tantaque beneficia?

1. Pet. 1. 14. R. Voluntati suæ in Verbo revelatæ obedientiam.

Q. Quæ est Illius obedientiæ regula?

R. Lex moralis, Exod. 20. quæ
Math. 22 37. decem præceptis comprehenditur, cujusque summa est, dilectio DEI toto
1. Tim. 1. 5. corde, tota anima, totis viribus, totaque mente, & dilectio proximi, sicut ipsius.

Q. Præter usum illum quod sit regula nostræ obedientiæ, quem alium obtinet?

R. Est speculum in quo inquinamenta animæ & vitæ cernere possu-
Rom. 3. 20 mus, ut sic ex sensu peccati nostræque miseriæ humiliemur; & per quam etiam cernere possumus, quanta sit nostra necessitas CHRISTI Salvatoris, ejusque pro nobis satisfactionis, &
Gal. 3. 24. perfectæ obedientiæ, ad quem idcirco vocatur lex pædagogus.

Q. Quæ sunt regulæ ad recte intelligenda decalogi præcepta?

Postu-

R. 1. Postulant summam unius cujusque officii perfectionem, & prohibent minimum uniuscujusque peccati gradum.

2. Lex est spiritualis; ideoque se extendit non solum ad externa, ut verba & actiones: sed etiam ad omnes animæ facultates & functiones, ut intellectum, voluntatem, affectiones, & cogitationes.

3. Præcepta positiva, quæ officium vel bonum aliquod mandant, è contrario malum contrarium prohibent: sic etiam præcepta negativa quæ malum prohibent, bonum etiam ei contrarium faciendum mandant.

4. Ubi promissio aliqua obedientiæ annectitur, contraria comminatio in violatores includitur.

5. Quod DEUS prohibet, nullo tempore est faciendum: at quod mandat, semper (id est constanter) sed non, ad semper (id est omni tempore) est faciendum.

6. Sub uno peccato, vel officio, omnia ejusdem generis vetantur vel mandantur cum omnibus causis, occasionibus, mediis, speciebus, vel illecebris quibuscunque.

7. Cum ſimul præſtare non poſſumus quod mandatur in prima legis tabula & ſecunda, tunc externa actio quæ prima mandatur tabula cedere oportet obedientiæ ſecundæ ſicut ubi ait Dominus, miſericordiam volo non ſacrificium.

8. Quod nobis ipſis vetatur aut mandatur, aſtringimur ſecundum officia noſtra conari ut idem vitetur aut agatur ab aliis, & auxilio aliis eſſe, in hoc denique attendere ne ſimus participes, vel præſtemus id, quod aliis prohibetur.

Q. *Quæ ſunt præcipuè conſideranda in decalogo?*

R. 1. præfatio, 2. mandata ipſa, 3. rationes annexæ.

Q. An præfatio ad nos pertinet?

R. Imo; ut liberati a ſervitute duriori (ſpirituali ſcilicet) ac majori pretio redempti, accēdamur ad obedientiam alacriorem.

CAP. XII. De ſenſu & expoſitione decalogi, ac 1. primæ tabulæ.

Deut. 6, 4. Q*Uid primo mandatur Præcepto?*

R. Ut DEUM Vivum & verum ſolum

ſolum, noſtrumq; eſſe DEUM noſcamus & agnoſcamus, ipſumq; ut talem colamus & glorificemus ſincere & ſedulo, amando, timendo, invocando, Eique fidendo & ſerviendo. *Iſai.46.9 Math.22 37. Pſal. 50. 15.*

Q. *Quid primo Præcepto prohibetur?*

R. Neglectus hujus cognitionis ex verbo ſuo, & agnitionis prædictæ, & cum alios, aliave, magis amamus, timemus, eiſque, fidimus vel inſervimus, ut hominibus mammoni, carni, &c. cultus etiam ille religioſus qui à Papiſtis, ſanctis, angelis & imaginib[9], *etc.* exhibetur: & conſultatio cum Dæmone vel veneficis ſimiliter prohibetur; in ſumma vetatur Atheiſmus & Polytheiſmus. *Pſal.14.1 Gal. 4. 8.*

Q. *Quid per hoc Verbum* (CORAM ME) *docetur?*

R. Quod DEUS qui omnia videt, hoc maximè reſpicit, & violationem hujus præcepti punire non omittet, tanquam crimen audaciſſimum.

Q. *Quid ſecundo Præcepto mandatur?*

R. Obſervatio pura & ſincera omnis religioſi cultus DEI ſicut in verbo ſuo mandatur. *Iſai. 8. 20*

Q. *Quid hoc mandato prohibetur?*

R. Repreſentatio DEI, aut ullius

PERSONAE TRINITATIS per imaginem ullam, omnisque ejus cultus, in, per, vel coram imagine, omnisque deniq; Idololatria, ἐθελοθρησκεία, omnisq; cultus religiosus qui nō in verbo continetur.

Q. *Quæ sunt rationes huic mandato annexa?*

R. 1. DEI in nos jus & dominium. 2. Ipsius zelus pro vero suo cultu. 3. Ira & vindicta contra omnem cultum illicitum tanquam spiritualem scortationem. 4. Existimat etiam hujus præcepti violatores tanquam sui ipsius Numinis osores, quibus ideo minatur pœnam, ipsis, ipsorumque posteris. Observantibus autem, diligentibus, & iis & eorum posteris misericordiam pollicetur.

Q. *Quid mandatur tertio Præcepto?*

R. Sanctus & pius usus nominum DEI, Titulorum, Attributorum, vel quorumcunque per quæ se nobis patefacit, ut sunt Verbum, Sacramenta, aliaque similia.

Q. *Quid hoc mandato prohibetur?*

R. Omnis vanus, prophanus, superstitiosus, vel impius abusus Nominis DEI, jurando, pejerando, conjurando, blasph

blaſphemando, illicita vovendo, devovendo, &c. Abuſus deniq́ue vel prophanatio cujuſvis rei per quam ſe patefacit Dominus.

Q. *Quæ eſt ratio huic mandato annexa?*

R. Quod utcunq; violatores ejuſdem parvi fortaſſis pendēt ejus tranſgreſſionē, Deus tamē inultā nullo modo ſinet.

Q. *Licetne ergo omnino per DEI Nomen jurare?*

R. Licet, modo ut monet Propheta, *Deut.* 6.
id fiat in veritate, juſtitia, & judicio. 13.

Q. *Quotuplex eſt juramentum Licitum?* *Jer.* 4. 2.

R. Eſt vel aſſertorium vel promiſſo- *Matth.* 5.
rium, idem vel DEO fit vovendo, vel 33.
homini promittendo.

Q. *Quotuplex eſt juramentum illicitum?*

R. Triplex, temerarium, injuſtum, *Matth.* 5.
vel Idololatricum. 37.

Q. *Quid quarto Præcepto mandatur?*

R. Ut ſanctificetur, & ad Dei cultū ſeparetur integer dies ſeptimus uniuſcujuſq; ſeptimanæ, ut ſit Sabbatū Deo ſacrum, qui dies à creatione mundi ſeptimus, uſq; ad reſurrectionem Chriſti Iu- *Revel.* 1.
dæis ſabbatum erat ſacrum: ab ejus vero 10.
reſurrectione, primus ſeptimanæ Dies uſq; ad mundi finem eſt chriſtianū Sabbatum, qui dies appellatur Dominicus.

Q. Quomodo sanctificatur hoc Sabbatũ?

R. Sancta toto illo die requie ab omnibus mũdanis occupationib⁹, & recreationibus, aliás licitis, & totũ illud impẽdẽdo tẽpus in publico & privato pietatis & cultus divini exercitio, exceptis operib⁹ humanitatis, necesitatis, et charitatis. Luc. 14. 5

Q. Quid hoc mandato prohibetur?

R. Omissio, vel perfunctoria horum praxis quæ hoc præcepto mandantur: prophanatio itidem hujus Diei otiando vel quidvis agendo quod in se peccatum est, vel quo prophanatur.

Q. Cur Patribus familias præcipuè mandatur hoc Præceptum?

R. Ut sic quale onus sibi incumbere pro omnibus sibi subditis cognoscant, pro quibus DEO respondere tenentur, & ut ipsis subditi obedire discant. Gen. 18. 19 Josh. 24. 15.

Quæ sunt rationes huic præcepto annexæ?

R. 1. Ab æquitate sumitur; siquidem Deus pro unico hoc sibi dicato, sex nobis dies & nostris assignavit: 2. jus hujus diei tanquam suum ac sibi debitum vẽdicat: 3. suo exemplo requiescẽdo ab operibus suis in eo, idẽ nos facere docet: 4. in eum finem benedixit ei, ut esset benedictionis medium nobis qui eũ sanctificamus, & typus ac symbolum quietis æternæ.

Cur

Q. Cur præfigitur huic Præcepto verbum, RECORDARE?

R. Quia proni ſumus idem oblivioni tradere, (magis terrena quam cœleſtia quęrẽtes) et quia obſervatio ejꝰ eſt quaſi clavis omnis religionis, quam ſatan ideo prophanatione ejuſdẽ, conatur cũ omni memoria beneficiorũ, creationis, ac redemptionis noſtræ, nobis extorquere.

CAP. XIII. De expoſitione ſecundæ Tabulæ Decalogi.

QUid quinto Præcepto mandatur?

R. Ut honore omnes proſequamur ſuperiores, ſive ætate vel donis nobis ſupereminceãt, præcipuè verò qui nobis præſunt in Eccleſia, republica vel familia. Diciq; poſſunt Parentes Eccleſiaſtici, Politici, Naturales ſeu œconomici.

Quare dicuntur tales, Pater & Mater?

R. 1. Ut moneantur Superiores ſui officii erga inferiores ſuos, ſcilicet, ut eos diligant, eorum bonum curent, pro ipſis invigilent, infirmitates tolerent, & prudenter aliquando corrigant, &c. Similiter etiam ut moneantur ſui officii inferiores, ut viciſſim ſuperiores diligãt, honore proſequantur, grati ſint illis, obſequiumque præbeant in Domino.

Qualis est hic honor quo eos prosequi debet?

R. Quadruplex, Amoris scilicet, reverentiæ, obsequii, & subsidii.

Quid hoc præcepto prohibetur?

R. Prædictis contraria, ut odium, contemptus, rebellio, maledicentia, ingratitudo, & similia.

Q. *Quæ est ratio huic Præcepto annexa?*

R. Promissio vitæ longæ ac prosperitatis omnibus hanc legem observantibus in quantum DEI gloriæ & ipsorum bono subservient.

Q. *Quid sexto Præcepto mandatur?*

R. Omnis licitus conatus conservationis vitæ nostræ & proximi.

Q. *Quid vetatur?*

R. Odium, maledicentia, & vis omnis,
1. Ioh. 3. 15. sive ad necandum, vel nocendũ aliis illata, intemperantia etiam, desperatio, vel cum quis manus sibi infert.

Q. *An nullo modo licet occidere?*

R. Nullo, nisi in casu publicæ justitiæ,
Rom. 13.4 legitimi belli, & inculpatæ tutelæ.

Q. *Quid septimo mandatur Præcepto?*

R. Conservatio nostræ castitatis & proximi.

Q. *Quid prohibetur?*

R. Omnis impuritas & libido, omnisque occasio & provocatio ad eandem.

Quot

Q. Quot modis præcipuè violatur hoc Præceptum?

R. Tribus. 1. Corde, concupiscendo. 2. Verbo, turpiloquio, vel consilio, alliciendo. 3. Opere, gestu, tactu, vel impura commixtione coeundo. *Math.5. 27. Eph.5. 4 Prov.6. 25.*

Q. Quid octavo mandatur Præcepto?

R. Legitima procuratio & augmentum boni proximi & nostri ipsius.

Q. Quid eodem Præcepto prohibetur?

R. Sub furti nomine synecdochice, quodvis iniquitatis genus, sive vi, sive fraude fiat, seu quovis alio modo ad proximi detrimentum, vel nostrarum facultatum aquisitionem per fas & nefas, earumque profusionem. *Luc.3. 14 Jud.17.2.*

Q. Quid nono praecepto mandatur?

R. Veritas inter homines mandatur, præcipuè in perhibendo testimonium, & ut famam proximi intactam & illibatam conservemus.

Q. Quid hoc Præcepto prohibetur?

R. Omne mendacium, omnis detractio, falsa accusatio, & falsum testimonium. *Deut.19. 6. Psal.19.6 & 15.3.*

Q. Quid decimo mandatur Præcepto?

R. Ut contenti nostra sorte simus, & nihil quod proximi est (quamvis sine pleno voluntatis consensu) appetamus. *Math.26 61. Heb.13.5*

Q. *Quid ergo hoc Præcepto prohibetur?*

R. Omnis concupiſcentia in primo motu, appetitus inordinatus, Ea appetens quæ in lege DEUS prohibuit.

CAP. XIV. De obſervatione Legis.

Q. *AN valet ullus hæc mandata perfectè præſtare?*

R. Nequaquam, quia non datur perfectio graduum in hac vita, quamvis detur partium.

Q. *At, an omnes legis tranſgreſſiones ſunt æquales?*

R. Minimè, neque in ſe, nec CORAM DEO.

Q. *Quæ ſunt ea ergo quæ peccata maximè aggravant?*

R. 1. Circumſtantiæ perſonarum peccantium, v. g. Si ſint ætatis maturioris, ementioris loci, profeſſionis, donorumque. &c. 2. Perſonarum in quos peccatur. v. g. Si immediate in DEUM, ipſi' attributa, vel cultum. Item, ſi in Superiores quoſcunque, ſi in infirmos, animaſve, vel bonum commune omnium vel multorum. 3. Reſpectu naturæ & qualitatis peccati. v. g. Si ſit contra lucem naturæ, nedum contra mandata, &

non

non ſolum corde, ſed in verba & actiones erumpat, ſimiliter, ſi ſcienter, volenter, ex propoſito, impudenter, malitioſe, frequenter, obſtinate, jactanter, contra admonitiones, vota, pacta, promiſſaque fiat, vel per relapſum poſt pœnitentiam. 4. Circumſtantiæ etiam temporis & loci aggravant, v. g. ſi ſit die Dominico, ſeu tempore cultus divini, ſi in domo DEI, in publico conſpectu, unde ſcandalum, vel provocatio emergere poſſit; denique ſi ſub tam clara Evangelii luce fiat, quæ eſt aggravatio maxima. *Ioh. 15. 22.*

Q. Quid meretur peccatum quodvis, etſi nobis videatur minimum?

R. Mortem æternam, ſecundum illud. Rom. 6. 23. Ideoque nullum eſt ſua natura veniale, ſed omne peccatum mortale eſt, nec expiari poteſt niſi CHRISTI ſanguine.

Q. Quid à nobis requiritur ut mortem illam poſſimus evadere.

R. Vera pœnitentia, & fides, uſuſq; ſanctus externorum mediorum, quibus CHRISTUS comunicat beneficia mediationis ſuæ, & redemptionis noſtræ. *Act. 11. 18. Eph. 2. 8.*

Q. Quid eſt vera Pœnitentia?

R. Eſt gratia ſalvifica, qua Peccator

Lam. 5. 21. ex vero peccati ſenſu, & apprehenſione
Act. 26. 18. miſericordiæ DEI in CHRISTO, cum
Ier. 31. 18 dolore & odio peccati, ſeſe ad DEUM
Hoſ. 14. 2 convertit, cum pleno propoſito & conatu novæ obedientiæ.

Q. Quid eſt vera Fides?

1. *Ioh.* 2. 3 R. Eſt gratia ſalvifica, qua CHRISTUM apprehendimus, nobis ipſis ap-
Math. 12 21. plicamus, & in eum ſolum ad ſalutem recumbimus, prout Ipſe in Evangelio
Ioh. 14. 1. & 3. 16 ſeſe nobis offert.

CAP. XV. De Verbo & Sacramẽtis.

QUa ſunt media externa quibus nobis communicat CHRISTUS beneficia redemptionis noſtra?

R. Hæc ſunt præcipuè, Verbum ſcilicet, Sacramenta & Oratio, quæ omnia Electis efficacia ſunt ad ipſorum ſalutem media.

Q. Quomodò fit verbum illis efficax ad ſalutem?

R. Per Spiritum ſanctum, qui per illud mentem illuminat, corda convertit, ad CHRISTUM ducit, eique conformes reddit, per ſanctificationem omnium facultatum animæ, & membrorum corporis.

Quom

Q. Quomodo est audiendum vel legendum verbum DEI, ut sit efficax ad salutem?

R. Attendendo ei cum præparatione, reverentia & oratione, illud etiam recipiendo cum amore, fide, & mansuetudine, idemque in corde reponendo, meditando, & applicando, ac denique in praxin vitæ illud redigendo.

Q. Qui prædicarent, & quomodo est prædicandum?

R. Illi solũmodo qui ad id, idoneis sunt præditi donis, & legitime vocati, qui prædicare debent. 1. purè, id est, sanam doctrinam, quam ἄδολον γάλα vocat Apostolus. 2. Diligenter, εὐκαίρως, ἀκαίρως. 3. Plane, ad captum auditorum. 4. Prudenter. 5. Ferventer, zelo accensi. 6. Fideliter, totum DEI consilium revelando nihilque iis quæ in mandatis habent addendo vel substrahendo. 7. In demonstratione Spiritus, & 8. sincere, ad DEI gloriam, & ædificationem ac salutem populi.

1. *Pet*. 2. 2
2. *Tim*. 4. 2.
Act. 20. 27.

Q. Quomodo fiunt Sacramenta ad salutem efficacia?

R. Non à virtute ulla quæ eis inhęret, vel in eo, ejusve intentione qui ministrat, sed à benedictione CHRISTI, & operatione Spiritus in his qui ea fide vera recipiunt.

Q. *Quid est Sacramentum?*

R. Est sacra ordinatio à Christo insti-
Rom.4.11 tuta,in qua per sensibilia signa,Christus
1.Cor.10. & beneficia novi fœderis gratiæ repre-
14 sentantur, obsignantur, exhibentur, &
& 11.23 applicantur ad salutem omnibus vere fidelibus. Qui vicissim in CHRISTI obsequium stricte astringuntur.

Q. *An Sacramenta sunt ad salutem simpliciter necessaria?*

R. Minimè, absolute & simpliciter,
Marc. 16 tanquā salutis causæ primariæ,&(ut lo-
16 quuntur) sine qua nō.Sed ex Hypothesi, sunt salutis media ordinaria,&à CHRISTO præcepta.

Q. *An omnis qui particeps est Sacramenti, particeps est etiam salutis?*

R. Minimè, nam etsi Sacramenta
1.Cor. 10 communia sunt omnibus fœderatis
4.5 quoad signa, propria tamen Electis so-
Gen. 17. lum sunt quoad rem significatam.
26

Q. *Quot partibus constat Sacramentum?*

R. Tribus. 1. Signis significantibus substantia remanentibus. 2. Verbo sanctificante. Usum solum, non naturam mutante, & 3. Re significata cœlesti, (ut dictum est) ad Electos solum pertinente.

Quom

Q. *Quomodo conveniunt Sacramenta Veteris Testamenti, Circumsio scilicet, & Agnus paschalis, cum Sacramentis Novi Testamenti, Baptismo videlicet, & cœna Domini, & in quibus differunt?*

R. Conveniunt in re significata, CHRISTO, videlicet, agno illo ab initio mundi mactato, differunt vero. 1. Signis externis. 2. modo significandi 3. Amplitudine, fœdus enim novum, non ad unum tantum populum, sed omnem se extendit, & 4. Duratione, illa solum ad CHRISTI primum adventum, hæc autem ad mundi finem perdurant.

1. *Cor.* 10 2. 3
1. *Cor.* 11 27
1. *Cor.* 11 26

CAP. XVI. De Baptismo & Cæna Domini.

Q*Uot sunt Sacramẽta Novi Testamenti à CHRISTO instituta?*

R. Duo, Baptismus & Cœna Domini.

Q. Quid est Baptismus?

R. Est Sacramentum Novi Testamenti, in quo per Lavacrũ aquæ, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, sanctificatur & obsignatur nostra in CHRISTO insitio, peccatorum per sanguinẽ ejus ablutio, nostra etiam per Spiritum Sanctum regeneratio, & ad vitam æternam tandẽ resurrectio. Per quod etiam

Math. 28 19
Rom. 5. 9
Ioh. 3. 5
Tit. 3. 5

am baptizati in visibili Ecclesia solemniter recepti ad ejus solum famulitium sese obstringunt.

Q. *Quibus est administrandus Baptismus?*

Gen. 17.7 R. Solummodò fidem CHRISTI
Act. 2.39 profitentibus, eorumque liberis in fœ-
Math. 19 dere comprehensis.
4 Q. *Quid est Cœna DOMINI?*

R. Est Sacramentum Novi Testa-
Math. 26 menti, in quo distributione & recep-
26 tione panis fracti, & vini effusi, CHRI-
STI mors annunciatur, dignèque par-
Joh. 6. 50 ticipes CHRISTI corpore & sanguine
51 ad animæ nutrimentum, & gratiæ in-
crementum spiritualiter vescuntur, in
Eph. 4. 13 unione etiam cum eo, & communione
confirmantur, & in quo etiam gratitu-
dinem suam DEO debitam, & mutuam
inter sese charitatem publicè testantur.

Q. *Quid requiritur ut digni simus participes Cœnæ Dominicæ?*

1. Cor. 11 R. Ut Quisque seipsum examinet,
28 num sit in CHRISTO, quale desiderium
Math. 3. ejus habeat, similiter de pœnitentia sua
2 pro peccatis, fide qua CHRISTUM
Act. 8. 36 recipit, amore in proximum, & voto
1. Cor. 5. 8 seu proposito firmo novæ obedientiæ,
Math. 5 ne si indigne aliter accedat, sibi-ipsi edat
44 judicium.

Q. *In quibus consentiunt, & differunt hæc duo Sacramenta?*

R. Differunt. 1. Signis. 2. Administrationis frequentia, Cœna enim sæpè, Baptismus solum semel celebratur. 3. Personis, baptismus enim infantibus, Cœna verò solum adultis. Consentiunt autem. 1. Authore, CHRISTO. 2. Materia spirituali. CHRISTO etiam ejusq; beneficiis. 3. Natura, ambo enim sunt sigilla fœderis novi, per Ministros Evangelii solummodo administranda.

CAP. XVII. De Oratione, præcipuè ea quæ vocatur Dominica.

Q*Uod est tertium externum medium quo nobis beneficia CHRISTI communicantur?*

R. Oratio.

Q. *Quid est Oratio?*

R. Est Invocatio Nominis DEI per CHRISTUM unicum Mediatorem, ut nobis gratiose concedat, quæ ad Ipsius gloriam, nostramque salutem & necessitatem pertinent. *Psal.* 50 15 *Joh.* 14 6 14 1. *Tim.* 2 5

Q. *Quare per CHRISTUM seu in CHRISTI Nomine orare oportet?*

Quia per peccatum talis ac tanta est inter DEUM & nos distantia ac divisio,

ut ſine mediatore, CHRISTO videlicet,
nullꝰ ad eum pateat acceſſus.
Gen. 18. Q. *Quomodo debemus orare?*
27 R. Cum ſumma reverentia, intellectu
1. Cor. 14. etiam, humilitate, fide, ſinceritate, cha-
15 ritate, zelo, perſeverantia, & patientia.
Luc. 18. Q. *Quam normam orationis nobis tradi-*
10 *dit CHRISTUS?*
Pſal. 86. R. Verbum ſuum integrum, ſed præ-
4 cipue orationem illam, vulgo, quæ vo-
Matth. 6. catur dominica.
14 Q. *Quibus conſtat ea partibus?*
Eph. 6. 18 R. Tribus, præfatione ſcilicet, peti-
tionibus ſex, & concluſione.
Matth. 6. Q. *Quid docet Præfatio?*
9 R. 1. Præces noſtras ad DEUM ſolum
Luc. 11. 2 eſſe dirigendas. 2. Cum filiali fiducia
tanquam ad Patrem. 3. Cum ſumma
Pſal. 65. reverentia, & cœleſti diſpoſitione tan-
2 quam ad Patrem qui eſt in Cœlis. 4.
Luc. 11. Cum charitate erga proximos, orando
11 pro omnibus, ideoque dicimus, Pater
Iud. verſ. noſter, &c.
20. 21 Q. *Quem intelligis nomine Patris?*
1. Tim. 2. R. Non primam perſonam ſolum-
1. 2 modo Deitatis, ſed totã Trinitatẽ, ideo
vox (PATER:) non hic perſonaliter ſu-
mitur, ſed eſsẽtialiter, quo ſenſu CHRI-
STUS, Iſai. 9. 6. Pater etiam vocatur.

CAP

CAP. XVIII. De ſex petitionibus Orationis Dominicæ.

QUomodo dividuntur ſex petitiones orationis Dominicæ?

R. In tres priores quæ ſpectant ad DEI gloriam, & tres ultimas quæ noſtram ſpectant neceſſitatem, tum corporalem tum ſpiritualem.

Q. Quid prima petitione poſtulamus?

R. Ut DEUS hoc nobis tribuat, ut Ipſum in omnibus per quæ ſe patefacit glorificare poſsimus, ipſeq; velit, ſimiliter ad gloriam ſuam omnia dirigere. *Pſal.* 84. 11. & 135. 6 *Ezek.* 36 26

Q. Quid ſecunda petitione quærimus?

R. Ut regnum Satanæ, peccati, & Antichriſti deſtruatur, regnum autē DEI, videlicet, gratiæ, magis magiſque pura & pia ac efficaci Evangelii prędicatione propagetur, ac amplificetur, & regnum gloriæ acceleretur.

Q. Quid tertia petitione poſtulamus?

R. Ut in Dei obſequium prorſus noſtra voluntas ſubigatur, ipſiuſq; voluntatem in verbo ſuo revelatā ſic præſtare valeamus, ea humilitate, alacritate, fidelitate, diligentia, zelo, ſinceritate & conſtātia, ſicut in Cœlis faciunt ipſius Angeli. *Rev.* 7. 11 *Heb.* 1. 4

Q. Quid quarta petitione petimus?

R. Ut in uſu legitimorum mediorum

(recumbentes interim in DEUM solum, ejusq; providẽtiam de die in diem) ex gratuito ejus dono, & cum benedictione sua, ac usu sanctificato, frui possimus tanta ac tali portione rerum harum terrestrium, quã ipse ad sustentationem hujus vitę sufficere nobis novit. *Prov.* 30. 8

Q. Quare panis ille quem quærimus, PANIS NOSTER dicitur?

R. Ut moveamur licito quæstu comparandum esse & non vi vel fraude in alienum involandum. *Luc.* 3.14

Q. Quare QUOTIDIANUM appellamus?

R. Ut brevitatis & incertitudinis vitæ hujus nostrę memores reddamur, qui de die in diem solummodo vivimus, ideoq; de crastino soliciti nimis esse non debemus. *Job* 14. 1. *Matth.* 6. 32

Q. *Quid quinta petitione rogamus?*

Ut DEUS CHRISTI causa omnia remittere velit nobis peccata, quod quidem eo magis fidenter ab eo petimus, quia & nos ex animo remittimus in nos peccantibus. *Matth.* 7. 2 *Jac.* 2. 13

Q. Quid sexta petitione postulamus?

R. Ut DEUS nos custodire velit ne in peccati tentationem incidamus, aut saltem ita nobis auxiliari velit, ne ab eadem vincamur.

Q. *Quid sibi vult hæc quæ adjecta est clausula, quoniam tuum est regnum, &c?*

R. δοξολογία est, & rationē etiam fiduciæ nostræ continet, quod hæc omnia quæ petimus concedet nobis Dominus, quia ejus est regnum, ac proinde subditorum bonum curabit, ejus etiam est potentia, qua hæc omnia quæ desideramus præstare valet, ejusque gloria in his concedendis manifesta omnibus erit, durabitque in sæculorum sæcula. 1.Tim. 1

Quid tandem significat hæc vox Amen?

R. Est nostri voti ac desiderii necnon credentis & fidentis signaculum, quod prædicta omnia ex DEI misericordia nobis concedentur, in gloriam Nominis sui (ut dictum est) nostramque æternam in CHRISTO salutem.

CAP. XIX. De exauditionis certitudine, nostroq; officio, & gratuita tandem divina mercede.

Q*Uomodo nobis certo constat DEUM preces nostras exauditurum, nobisque ea quæ petimus esse concessurum?*

R. Quia non solum frequentissima habemus Ipsum invocandi præcepta. 2. Frequentes etiam Ipsius se nos exauditurum promissiones. 3. Plurimaque in *Psal.* 50. 15 *Matth.*

[illegible] Sanctorum, quorum [illegible] exemplis, sed eorum [illegible] lectens: oratio est ipsius Spiritus Sancti opus, & Mediatorem etiam praeter [illegible] bis ad dexteram DEI Patris sedentem, & continuo interpellantem, habemus in Coelis CHRISTUM, amicum & dilectum ejus FILIUM, ac nostrum Redemptorem.

Q. *Quid pro hoc [illegible] omnibus ejus beneficiis [illegible]?*

R. Gratias ei summas agere, eique humiliter inservire, fiduciam in illum collocare, dilectione amplecti, ipsum colere, ac illius causa quidvis patiens esse parati, denique obsequium ei in omnibus alacriter & constanter [illegible].

Q. *Quae tandem a tam bono DEO mer[illegible] ipsius misericordia, ratione pacti non [illegible]?*

R. [illegible] post hanc vitam pie peractam foelix obitus [illegible] per & [illegible] CHRISTI [illegible] cum [illegible] & Spiritu Sancto Trinum & unum [illegible] DEO, [illegible] honor, gloria in secula saeculorum: Amen.

FINIS.